

I. N. F.  
DE

Πι  
1949

S. GEORGIO  
EQUITE

AC

MARTYRE,  
IMPETRATO  
SUPERIORUM

CONSENSU,

PRO LOCO

IN

INCLYTA FACULTATE PHILOSOPHICA  
OBTINENDO,

PRIMA VICE

AD D. XVIII. MARTII, A. R. S. M. DC. XCIII.

DISPUTABIT


M. CONRADUS DANIEL FRICK,  
Ulmensis.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTIANI GOEZI.



(X 1877402)





## Cum Deo Feliciter!

### I.



Mnium adhuc in ore est, ac firmiter memoriæ inhæret festivitas illa solemnis maximè, quâ Serenissimus Saxonæ Elector Dominus, Dominus JOHANNES GEORGIUS IV. Garterio donatus est à Potentissimo Magnæ Britannæ Rege WILHELMO III., solemnibusque ceremoniis Ordini Splendidissimo S. Georgii aut Periscelidis per Regios Legatos haud ita pridem inauguratus in Electorali Dresdâ fuit. A quonam verò primitus hic Ordo Illustrissimus, quemque in finem institutus sit, Autores variant, in eo tamen concordēs, Patronum illius esse S. Georgium, decantatissimum Equitem atque Martyrem, cujus imago, prout Draconem conficit, è torque dependet, quem in die creationis Equites gestant; quin & solemnia Ordinis quotannis Windesoræ in die Georgii celebrantur. Cum autem Sanctum hunc Georgium prorsus non in terris extitisse, aut Arianorum sectæ addictissimum fuisse, pro certo venditent quamplures viri docti; argumenta eorum curatius perpendere, inque hujus Historiæ vel fabulæ veritatem inquirere occasione nuperi festi volumus.

II. Equidem extitisse olim Georgium quendam Cappadocem, ipsumque diris suppliciiis affectum mortem obiisse, constat è scriptis Veterum, Athanasii, (a) Gregorii Nazianzeni, (b) Ammiani Marcellini, (c) Epiphani, (d) Gregorii Nysseni, (e) Socratis, (f) Sozomeni, (g) atque Theodoret. (h) Scilicet ortum est hocce *τέρας Καππαδοκίον*, Cappadocense monstrum, uti Georgium Nazianzenus vocat, malum genere, animo pejus, in confinio Cappadociæ, loco quodam ignobili, vel, ut Marcellinus scribit, in fullonio apud Epiphaniam Ciliciæ

oppidum. Cumque primis ætatis juvenilis annis huc illuc circum-  
 cursitaret in mensis, Gnathonis Terentiani personam agens, dehinc  
 suillis gregibus custodiendis adhibitus, & miles postea factus est. Tan-  
 dem fortunâ variâ usus, in Curiâ Imperatoris Quæstor fuit atque Depe-  
 culator, quem Ariani immiserunt, & in Episcopatum Alexandrinum tu-  
 tandæ ipsorum hæresi contra jus omne intruserunt. Neque tamen  
 statim ab excessu Gregorii officio huic præfuit, quin aliquot annis  
 post, nempe 356. demum creatus est Episcopus, uti ex Sozomeno atque  
 Theodoretò Socratem Valesius emendat. (i) In officio autem sacro  
 avaritiâ, hypocrisi, apertâ tyrannide, variâque flagitiosæ vitæ obscœni-  
 tate infamem se reddidit. Imprimis autem odium Gentilium in se gra-  
 vissimum concitavit, eorum sacra ludibrio Christianorum exponendo:  
 quapropter plebs Alexandrina comperta Constantii Imperatoris morte,  
 Georgium carcere nuper emissum, *vocibus horrendis infrendens, petiit,  
 raptumque diversis mulctandi generibus proterens & conculcans divari-  
 catis pedibus*: post obitum verò discerptum Episcopi cadaver camelo  
 impositum totaque propemodum urbe circumgestatum, cum multis pe-  
 cudum ac bestiarum ossibus in cineres redactum est, quos in mare plebs  
 quoque projecit, *id metuens, ut clamabat, ne collectis supremis, ades illis  
 extruerentur ut reliquis, qui deviare à religione compulsi, pertulere cru-  
 ciabiles pœnas, ad usque gloriosam mortem intemerata fide progressi, &  
 nunc martyres appellantur*, ut est apud Marcellinum. (k)

(a) Apol. II. p. 704. seq. Epist. ad Solit. p. 843. seq. (b) Orat. in Laud. A-  
 than. p. 382. 385. 389. seq. (c) Lib. XXII. c. II. p. 325. sqq. (d) Hæres. 76.  
 n. 1. p. 912. seq. (e) Lib. I. adv. Eunom. (f) H. E. I. II. c. 14. 28. I. III.  
 c. 2. 3. (g) H. E. I. III. c. 7. IV. 10. V. 7. (h) H. E. I. II. c. 14. (i) in  
 Not. ad Socr. p. 21. & 123. (k) l.c.

III. Cur autem Gregorius Nazianzenus (l) Alexandrinis  
 Christianis necem hanc tribuat, ex merito miratur Billius in No-  
 tis ad Nazianzeni Orationem de Athanasii laudibus. Videtur quidem  
 innuere Marcellinus, cædem illam factam esse consentientibus Christia-  
 nis, qui alioquin eum ab Ethnicorum manibus facilè liberare potuis-  
 sent. At enim verò Gentilium tumultui in solidum Georgii mortem  
 violentam adscribendam esse, ipsemet Marcellinus antea docuerat, con-  
 sentientibus Socrate ac Sozomeno. (m) Epiphanius etiam negat illum  
 Martyrum numero accensendum esse, cum injuriam atque supplicia  
 non

non sustinuerit propter Confessionem Christi, sed ob omnem illam injuriam ac violentiam, quâ Episcopatus sui tempore civitatem omnem ac populum oppressit. Remque ita se habere testatur ipsemet Julianus Imperator in Epistolâ ad Alexandrinos scripta, cujus Sozomenus meminit, & quam Socrates atque Nicephorus (n) producunt. Licet enim graviter iisdem succensere videri velit, tamen eosdem literis duntaxat objurgavit, pœnam autem remisit, αἰδοῖ τῆ πρὸς Σάραπιν τὸν αὐτῶν πολιτάρχον, καὶ Ἀλέξανδρον τὸν οἰκιστὴν, καὶ Ἰουλιανὸν τὸν αὐτῆς θεῖον: *in gratiam Serapidis Præsidis eorum Urbis, & Alexandri Conditoris, & Juliani Avunculi sui.* Neque id unquam confessus fuisset Julianus, nisi veritas ipsa eundem adegisset. Maluisset sanè Christianos, aut quoscunque alios, Georgii interfectores, quàm paganos. (o)

(l) l. c. p. 389. fq. (m) l. III. 3. (n) H. E. l. X. c. 7. (o) Sozom. p. 604.

IV. In eo tamen laudem Georgius promeritus est, quod, licet ipse quidem librorum nihil condiderit, antiquorum tamen, tum exterorum, tum Ecclesiasticorum monumentorum sedulus Inquisitor extitit, ex quibus non tenuem, neque contemnendam, sed amplam & Imperatoriis opibus parem Bibliothecam erexit; quo nomine etiam inter Georgios eundem retulit Leo Allatius in suâ de Georgiorum scriptis Diatriba, Georgio Acropolitæ annexa. (p) Hanc autem Bibliothecam post necem Georgii magna diligentia perquirere jussit Imperator Epistolâ IX, ad Ecdicum, eique pariter ac Porphyrio Epist. XXXVI. mandavit, ut omnia volumina, quæ in magnâ copiâ Georgius collegerat, Antiochiam pœnis etiam indictis transmittant. Quæ Julianus Antiochiam advecta in Trajanifano ab Adriano extructo pulcherrimo illo quidem, sed mole exiguo reposuit; eadem verò non multò post, improba Joviani Imperatoris desidia, mulierculis ignem subdentibus exarserunt: prout ex Johannis Antiocheni & Suidæ locis adductis probat Allatius locò superius citato. (q)

(p) p. 306. (q) p. 307.

V. Ab hoc autem Georgio Episcopo Alexandrino diversus omnino est Georgius alter Cappadox, Martyr & Eques Cataphractus. Hujus enim Martyrium sub Diocletiano Cæsare peractum ad XXIII. Aprilis diem referunt tum Menologia Græcorum, tum Latinorum Martyrologia. Gesta Passionis ejus scripta esse, à Pascrate famulo S. Georgii, Symeon Metaphrastes tradidit, quæ ipsa etiam ex MSto Græcò, velut ab ipsò-

met Sancti famulo concinnata, apud Surium (r) & Lipomannum extant. Sed verò Pasiratem istum non aliundè acceptum videri, quàm ex Apocryphis latinis, Papebrochius annotat in Commentario suo (s) S. Georgii Actis præmissis, qui exstat in Actis SS. Tomo III. mensis Aprilis. (t) Agit ibidem etiam de Actis S. Georgii, quæ in MS. Bibliothecæ Valliceltanæ reperit Baronius; hæc pleniora ac verbis subindè antiquioribus, quàm in Vallicellano Codice perscripta, characteribusque exarata Longobardicis deprehendit in MSto, quo ipse usus est, in dicta Bibliotheca reperiundo. Allegat etiam alia Acta MSa Græca variè nec satis prudenter interpolata, (u) quæ ex MS. Medicæo Regis Franciæ jam olim acceperat Rosveydus, latinè reddita à Francisco Humberto è S. J. Neque majoris fidei sunt Acta Græca, ex quibus jussu Petri de Surrento Archiepiscopi Neapolitani, Petrus Parthenopensis Ecclesiæ Pastor Georgii Martyris passionem à variis translationibus vitiatam emendare studuit medio seculo XIII. florens, & ad calcem Legendæ ipsius hosce versus adjecit:

*Hæc Tibi gesta dedit, Georgi, Martyr opime,  
Petrus; amore tuo sentes pellendo malignas:  
Præsulis egregii Petri præcepta secutus.*

*Jam pretiosa nitet Tua passio, pugna, Triumpho.*

De utroque hoc Petro pluribus è Bartholomæo Chioccarello egit Ferdinandus Ughellus in Italiâ sacrâ. (x) Parthenopensem in omnibus ferè sequutus est Hilarion Monachus Græcus, qui Historiam Reliquiarum Georgii Venetias translatarum Seculo XV. exaravit, quam ex duplici MS. Papebrochius quoque suppeditat inter Acta Martyrii Georgiani, (y) multum tamen & ipsum genio suo indulgisse notat, (z) quoad Rhetoricum præcipuè ornatum, ex sacra profanâque disciplinâ acceptum.

(r) April. p. 278. (s) p. 103. §. 10. (t) p. 101. seqq. (u) p. 103. §. 11. (x) T. VI. fol. 162. seqq. (y) p. 132. seqq. (z) p. 104. §. 14.

VI. Quin ipsemet Gelasius suo jam tempore inter Apocrypha retulit Acta Passionis S. Georgii, cavitque ne in Ecclesiis legantur publice, uti est apud Gratianum. (a) Ex quo factum esse existimavit Raynaudus (b) ut omnium Actorum de Sancto nostro fides in dubium vocata fuerit, quia Gelasius nullam adhibuit notam, qua internoscerentur Acta, quæ proscribat ipse, ab aliis; proinde nihil certi ex Actis omnibus probari posse statuit. Cum autem Andreas Cretensis seculi VII. Scriptor juxta Caveum (c) ad Historiam de Martyrio Georgii scriptam,

scriptam ablegat, qui velint omnia Sancti hujus facta cognoscere; eandem seculis quinto sextove scriptam esse arbitratur Papebrochius, (d) sed pro primæ notæ authentica Historia non venditat. Quia vero errata ipsius pauca sint, & tota tamen Passionis, quam vocat, substantia ibidem contineatur, dignam existimat quæ recipiatur, atque reliquis propter prærogativam antiquitatis ac sinceritatis præferatur. Ex illa itaque Historia Georgianæ Passionis feriem recenset, prout eandem in probatissimo Bessarionis codice Venetiis repertam & à Francisco Zino latinitate donatam Actis inseruit Lipomannus. Quædam tamen de suo Cretensis addidisse deprehenditur in Encomio Georgiano, quod in Bibliotheca Patrum Maxima T. X. & in Bibliotheca Concionatoria T. VI. ex versione Combefisii (e) latinè extat. Græcè verò magnam illius partem inter Opera Cretensis cum Notis ac versione sua Combefisius vulgavit. (f) Aliud verò ejusdem Cretensis Encomium in Sanctum nostrum, hætenus ineditum è Bibliothecæ Vaticanæ MS. Codice 1079. p. 179. Græcè subjungitur Tomo III. Aprilis Actorum Henschenii & Papebrochii. (g)

(a) distinct. XV. c. Sancta Romana. (b) Dissert. de S. Georg. §. IV. p. 339. fq. (c) Hist. Lit. Script. Eccl. p. 453. (d) p. 102. §. 8. 9. (e) p. 439. seqq. (f) anno 1644. p. 175. fqq. (g) fol. XX. seqq.

VII. Post Andream Symeon Metaphrastes, ut alias plures antiquas Sanctorum Historias, novo stylo exornavit Martyrium S. Georgii, quod Græcè ex eodem Bibliothecæ Vaticanæ Codice 1079. p. 146. citato Actorum Tomo (b) subnectunt Collectores. E cujus lectione patet diversam quoad circumstantias nonnullas omninò esse Metaphrastæ Historiam ab Antiqua illa, quam Cretensis allegat, hancque ex Bibliotheca Medicæ à se Florentiæ descriptam eidem Tomo, proximè ante Symeonem, Papebrochius inseruit, (i) atque tribus ut minimum seculis ante Metaphrastem lectam in Ecclesiis fuisse statuit, (k) quod contra Lipomannum notandum, quem, quicquid fere Græcarum vitarum reperit, adeoque & illam Georgii, Metaphrastæ adscribere constat. Vixit enim Symeon hic ineunte seculo X. quod cum Leone Allatio afferit Cavei Historia Literaria, (l) ubi sententiam Allatii fuisse hanc, eamque veram esse, contra Oudini duplicem errorem probat. Uti autem ex Actis jam laudatis suam Metaphrastes compositionem formavit, ita iisdem usi sunt, qui Martyris hujus laudes attigerunt, Petrus Damiani & Georgius

gius Cyprius. Illius seculo XI. florentis sermo de Georgio tum inter o-  
pera ejusdem aliquoties excusa, tum in Bibliotheca Concionatoria (m)  
legitur. Hic verò duobus Damiano seculis inferior, & post evectio-  
nem ad Patriarchatum Gregorii nomen assumens, prolixo Encomio lau-  
des Georgii nostri celebravit: quod ipsum notante Guilielmo Cave (n)  
MS. extat in Bibliothecâ Regis Galliaë, itemque Græcè ac Latinè in ci-  
tatô sæpiùs Actorum Tomo exhibetur. (o)

(b) fol. XV. (i) fol. IX. (k) cit. comment. §. 9. p. 102. (l) p. 573.

(m) T. VI. p. 439. (n) p. 746. (o) fol. XXV.

VIII. Ut autem constet, quid de Martyre nostro tradiderint Auto-  
res allegati, Historiæ hujus summa capita nunc breviter exponentur.  
Scilicet Georgius non obscuro loco in Cappadocia natus educatus-  
que, ob nobilitatem generis Tribunus militum, & Comes postmodum  
à Diocletiano constitutus fuit, antequam Christianus esse cognosceretur.  
Cum verò edicto promulgatò Cæsar in Christianos sævire inciperet; fa-  
cultatibus suis inter pauperes divisis, ipse augendæ dignitatis spe curiam  
adiens, in Senatusconsulto pro Christianis orat, & fidem suam, attonitis  
qui præsentibus erant cum Cæsare, publicè profitetur. Dein Diocletiano  
blandienti imperterritè, perstans in fide sua, respondet. Ex quo in carce-  
rem conjectus, humi prosternitur, compedibusque vincto ponderis ingen-  
tis lapis imponitur pectori, postea per rotam laceratus in eaque dire con-  
cisus & pro mortuo relictus, solvitur ac sanatur ab Angelo; seque Impe-  
ratori sistens, multos ad fidem convertit. Exindè in calcis foveam detru-  
sus illæsus educitur. Imperatori verò insultans, ferreas arduas crepidas  
indutus commodè incedit; in os cæditur, vapulat nervis bubulis. Com-  
missus etiam cum Athanasio mago, innoxie bibit oblata sibi ab isto vene-  
ficia, & Christi potentiam prædicat: porrò ad mortuum suscitandum  
provocatus, hoc facit Deo invocato: quo viso convertitur magus, &  
capite plectitur: denuò accusatur noster & blanditiis à Cæsare sollicita-  
tur; sed noctu à Christo confirmatus, simulat se illis flecti, & ad Deos duci  
petit: hinc magno cum plausu ductus ante Apollinem, ac Dæmone  
coacto fateri, se Deum non esse, eum ex simulacro pellit, & idola commi-  
nuit, tyrannoque indignanti generose insultat. Denique Alexandrâ Im-  
peratrice fidem suam publicè testante, Diocletianus valdè commovetur,  
& sententiam fert in ipsam ac Georgium. Illà verò placidè brevi ante  
suppli-



supplicium exspirante, Georgius capite plectitur, Martyrioque ipsius finis imponitur, ipso Dominicæ Parasceves die.

IX. Quam verò affingunt Martyri nostro pugnam cum Dracone, hodiernum in Papatu à quamplurimis devotè creditam, in nullo citatorum scriptorum legitur, excepto Monacho Hilarione. Neque in MStis ullibi lecta fuit à Papebrochio, nisi in unico Codice Græco Ambrosiano Mediolani, quem fortè seculo XII. exaratum esse conjicit. (p) Quando primùm scriptis tradi cœperit fabula hæc, incertum est. Certum verò illud, ante seculum XII. in Europâ nihil de illa fuisse scitum. E primis, si non primus ipse, Jacobus de Voragine prolixè commentitiam istam pugnam recensuit in suis Sanctorum legendis; post quem seculo XIV. & deinceps sic nota fuit, ut sine peccato vix omitti in rebus S. Georgii à quoquam potuerit. Quam in rem plures è recentioribus Raynaudus allegat, (q) quibus narratio ista Historica censetur. Hodie verò fabulam esse pugnam hanc, Pontificii prudentiores tantum non omnes profitentur, è quibus nominare nunc sufficiat Baronium, (r) Molanum, (s) Serarium, (t) Raynaudum, Papebrochium: (u) qui ad varios sensus allegoricos, eandem applicant. Imprimis autem prolixus in hanc rem est Theophilus Raynaudus. (x) Concedit equidem novum non esse, Sanctos Draconibus humano generi exitialibus necem inferre: quin ipsemet exempla hujus rei plura refert. Sed an id reverà præstiterit S. Georgius, probati autoris testimonio confirmandum, non gratis assumendum esse probè judicat. Totius fabulæ originem ad antiquissima tempora fortè non ineptè quis retulerit; cum de Constantino M. Eusebius scribat in ejus vitâ, (y) quod in tabulâ quâdam ita depingi se curaverit, ut salutare passionis insigne supra caput gestans, inimicam belluam, quæ DEI Ecclesiam impiorum tyrannide oppressit, in altum demersam, draconis sub specie atque figura pedibus conculcasset, medio ventre transfixam. Quo ipso Imperator, ut addit Eusebius, divino afflatu impulsus, ea expressit pingendo, quæ Prophetarum vocibus de bestia illa multo ante, prædicta fuerant.

(p) §. 16. p. 104. (q) l. c. §. 18. p. 353. (r) in Not. ad Martyrol. (s) de Imagin. l. III. c. 14. (t) in Lit. II. q. 19. §. 7. (u) §. 16. seqq. (x) l. c. (y) lib. III. c. 3.

X. Ejusdem cum pictura fidei esse censemus, quæ de sancto hoc Martyre passim jactant miracula Papistæ, quibus annumerandæ sunt narrationes de translationibus reliquiarum, cum easdem non sine miraculis

B

factas

factas esse itidem asseverent: prout magnam eorum nubem ex scriptoribus editis pariter ac MStis Papebrochius collegit, & majori cum solertia quam fructu inter Acta Martyris nostri retulit, (z) quorsum Benevolum Lectorem ablegare liceat.

(z) p. 114-154.

XI. Cum igitur Historiæ S. Georgii tot intermixtæ sint relationes fidei sublestæ: nonnullæ ab ipsis Pontificiis in dubium vocentur: totaque rei gestæ series non ex cœvis, sed scriptoribus longè inferioribus petita sit; quibus fidem tutò haberi non posse ipsemet, S. Georgii vindex Raynaudus (a) asserit; mirum videri non debet, plures fuisse Viros doctos, qui Martyrem nostrum nunquam in terris vixisse, ideoque Sanctis Chimericis & ὑποβολιμαίοις aut Symbolicis annumerandum esse judicaverint: veluti senserunt Beati Lutherus, (b) Melanchthon, (c) Martinus Chemnitius, (d) Jacobus Heilbronnerus, (e) Zeæmannus, (f) Johannes Gerhardus, (g) Dannhavverus, (h) Reiserus, (i) & à Reformatis Calvinus, Chamierus, (k) Hottingerus (l) Voetius, (m) Basnagius (n) aliique. Quin imò Petr. Paul. Vergerius, in Concilio Tridentino contra Legatum Romanum, postea Papam Marcellum, tuebatur, Christophori & Georgii Legendas meras nugas & fabulas esse, probabatque autoritate P. Pauli III. qui utriusque Legendam tolli jusserat ex Breviario, addens in Præfatione, se sustulisse Legendas non veras. (o) Alii advertentes, apud veteres omninò mentionem fieri Georgii Cappadocis, qui Arianus fuit, & de quo nos supra; hunc ipsum Martyrem esse contendunt, qui hodie hunc colitur à Pontificiis: & huic sententiæ subscribunt Raynoldus, (p) Hospinianus, (q) Isaacius Pontanus, (r) Petrus Molinaeus, (s) Georgius Hornius, (t) Hornbeckius (u) & Sandius, (x) qui etiam ad Ludovicum Gottfridum, & Simeonem Kuytinck sibi consentientes provocat.

(a) §. 4. p. 340. (b) passim. (c) in Apol. Aug. Conf. (d) P. III. Exam. (e) Papism. Acathol. Art. XI. c. 8. p. 209. (f) in Apolog. oppos. Kell. Art. XI. c. 8. p. 650. (g) Conf. Cathol. l. I. p. 2. c. 16. (h) in Christeid. Act. l. p. 867. (i) Rom. glor. p. 127. (k) Panstrat. T. I. lib. II. c. 16. (l) Hist. Or. l. I. c. 3. p. m. 99. (m) Diff. Sel. T. III. p. 653. (n) Hist. de Relig. Reform. c. 10. (o) ap. Hornbeck. in Exam. Bull. Pap. p. 248. (p) lib. I. de Idol. c. 5. (q) de Fest. in April. (r) Hist. Rerum Amstel. l. II. c. 4. (s) defens. fid. pro Reg. Jac. ad art. VIII. & in Nov. Pap. l. VII. c. 5. (t) Hist. Eccl. N. T. period. I. art. 3. §. 15. (u) l. c. p. 247. (x) Nucl. H. E. l. II. p. 220.

XII. Ar-

XII. Argumenta, quæ pro assertione posteriori proferunt, varia sunt, & magnam veri speciem præ se ferre videntur. Conveniunt enim non tantum in nomine Georgii, & patria Cappadocia; sed & Equitis, Sanctique Martyris appellatio Ariano etiam Georgio inditam esse, ex Athanasio, Nazianzeno, Epiphanio & Marcellino probant. Accedit quod adversarium Georgii hujus Vincentius (y) vocet Athanasium Magum, qui, teste Metaphraste, Georgio venenum hauriendum dedit: jam verò constat & Gentiles & Arianos Athanasium magiæ constantissimè insimulasse, Georgique adversarium fuisse; quin etiam, quod addit Sandius, Athanasium Georgio veneno necem quæsiuisse. Indeque evenisse ut Gelasius passionem Georgii tanquam ab Ariano scriptam, ut Baronius (z) vult, inter Apocrypha declararet, utpote quæ juxta Aloysium alia fuerit à vulgata Martyrii Historia. Porro cum tunc temporis Ariani omnes Ecclesias possiderent, verosimile esse urgent, ipsos Georgio suo multa templa dedicasse; quæ Pontificii postmodum invadentes cum nomine antiquo servaverint, alium saltem Georgium, cum alter Arianus fuerit, aliamque passionem confingendo; cum nullibi alterius cujusdam Martyris Georgii mentio fiat in Historia Ecclesiastica Eusebii, vel aliorum, qui res Ecclesiæ sub Imperio Diocletiani scriptis tradiderunt. Denique Muhammedanos id eo Georgium inter Sanctos suos, necquicquam reclamante censura Gelasii, celebrare ajunt, quod ex Doctore ipsius Ario magnam suæ doctrinæ partem acceperint, & cum Arianis semper negarent Christi Jesu veram Deitatem. Quod vero hic idem sit Georgius Cappadox, affirmare Sandio creduntur Patricides, Johannes Cantacuzenus & Kessæus. Cumque fidem Athanasii, famamque non satis læsisse sibi videatur Sandius, quod eundem Magum & venenarium vocaverit: ulterius sententiam suam firmare nititur, allegando Tripartitam, quæ scribat Georgium ab Athanasio veneno peremptum: dein scortationis eum arguit, quod septem per annos apud virginem quandam Alexandria delituerit: ultimo cladem Georgio inflictam fautoribus Athanasii tribuit, hujus sententia eis ducatum præbente. (a) Uti vero postremam hanc objectionem jam à Socrate atque Sozomeno refutatam esse supra notavimus: ita veneficia & incastos amores Athanasii, incastus ipse fingit in cerebro suo contra omnem fidem Historicam. Et qua ratione fautoribus Athanasii cædes adscribi poterit Georgii, quem Athanasius ipse veneno sustulit?

(y) Hist. XIII. 131. (z) not. ad Martyr. 23. Apr. (a) l. c. p. 246.

XIII. Utramque sententiam, imprimis verò posteriorem acerrimè perstringunt è Pontificiis Gretserus, (a) Kellerus, \* Serarius, Raynaudus, Papebrochius: ultimus (b) etiam blasphemiam vocat, quæ contra S. Georgium objicit Pontanus, quasi nempe idem sit noster cum altero Arianò. E nostris verò speciatim Sandium refutavit Paschius in Dissertatione de Georgio, (c) quem, præter rem curiosus, mavult vocare Beatum, cum Sanctus appellari à sincero Lutherano accuratè non possit, quod ea vox Papisticam superstitionem redoleat. (d) Et sane argumentum à nominis ac Patriæ convenientia desumptum, nihil probat, cum præsertim ortu, vitæ genere ac mortis exitu duo Georgii Cappadoces sint diversissimi. Vixere olim duo Judæ Thaddæus & Ischarioth, uterque Judæus; duo Nicolai Asiæ: quis autem eos pro uno habere velit? Quæ verò ex Athanasio sine loci mentione verba profert Sandius, (e) Georgium Arianos *autoritate ducis Alexandriam misisse*, in Athanasio non reperies. Martyrem autem eum dici non posse dudum Epiphanius probavit. Neque exinde sequitur, hodiè coli Cappadocem Arianum à Catholicis, quia nonnulli eum pro Martyre olim venditarint. Athanasium magum ab Arianis dictum esse, concedimus: exinde verò minimè probari potest, Georgii nostri adversarium eundem cum sanctissimo Patre fuisse. Cumque Baronius ex eo, quod in Antiquis Actis MS. conflictum Georgii cum Athanasio quodam Mago repererit, Acta illa ab Arianis conscripta fuisse arguat; *leviori fundamento dictum esse à Baronio judicat Combefisius, (f) quam ut Viri gravis animum ullo modo movere, aut etiam pulsare debuerit: ac vix, pergit, invenio, ut dicam rationem quam etiam suasionem vocant, que tantum possit esse alicui adminiculo: quid enim Athanasii οὐκ ὀνομαζόμενα ad propositum?* Ad reliqua in subsequentiis respondebimus, cum nostra de Georgio sententia probanda erit.

(a) de fest. l. II. c. 6. (b) p. 112. 47. 48. (c) V Vitteb. hab. 1685. (d) punct. III. §. 3. (e) p. 221. (f) in Not. ad Cret. p. 358. \* Papism. Cathol. p. 850.

XIV. Quemadmodum autem quam lubentissime concedimus, multa tum in Actis Georgii, tum apud Pontificios passim occurrere, quæ partim dubia sunt, partim aperte falsa: veluti jactatio tot miraculorum, reliquæ à Pontifice Zacharia fortuito inventæ, & his similia quamplurima; ita Georgium, qualem effingunt Pontificii, vixisse olim ut credamus, induci non possumus. Credimus tamen hoc, Georgium quen-

quendam Cappadocem, Tribunum militum & Equitem vere olim extitisse, qui ob fidei Christianæ liberam professionem sub Imperatore Diocletiano passus, & Nicomediæ capite truncatus fuerit. Et in hac sententia post Pontificios consentiunt nobiscum Magdeburgenses, (g) Chytraeus (h) Seldenus, (i) Paschius, aliique.

(g) Cent. IV. p. 818. (h) in Chronol. ann. 307. (i) de Tit. Hon. P. II. c. V. fol. 661. sqq.

XV. Sic enim in omnibus Martyrologiis Græcis pariter atque Latinis IX. Kalend. Maji notatur Martyrium nostri Georgii, quod sub Imperatore Diocletiano subiisse constantissime memoratur. Omnium instar sit Menæum Græcorum. Ὁ ἐνδοξὸς καὶ θαυμαστὸς, καὶ μέγας μάρτυρ Γεώργιος κατὰ τὰς χρόνας ἦν Διοκλητιανῶ τῷ βασιλέως, ἐκ χώρας τῆς Καππαδόκων, γένους ἐπὶ σήμερ, ἐν ταῖς τῶν τριβάνων στρατείαις διατρέψας, ἐν ᾧ δὲ ἀθλεῖν ἔμελλε, κόμης ἦν τὴν ἀσίαν. Et apud Canisium (k) ex interpretatione Guilielmi Sirleti. *Memoria Sancti gloriosi & magni Martyris Georgii cognomento Tropæophori. Fuit magnus Martyr Georgius Diocletiano Imperatore, Cappadox genere.* Hæc Martyrologiorum verba confirmant Acta superius nobis laudata. Quorum autoritatem cum ex silentio Eusebii potissimum aliorumque veterum Scriptorum infringere velint, qui Georgium nostrum extitisse negant; ex ipsomet Eusebio sententiam suam probare satagunt Seldenus atque Papebrochius. Et hic (l) quidem existimat, hominem istum secularium honorum prærogativa imprimis conspicuum, qui apud Eusebium (m) divino zelo commotus, decretum contra Christianos loco publico affixum Nicomediæ detraxerit, & tanquam impium ac sceleratum manibus discerpserit, Georgium fuisse: cum alii vel Petrum quendam, vel Johannem, ipsum nominent, cujus Natalem ad VII. Septembr. Menologia referunt; quorum sententiam refutat, suamque prolixè probat, ex eo imprimis argumento, quod affixio decretorum facta sit mense Xanthico, qui Romanis Aprilis est, instante festo Paschatos: quo tempore, ipsa nempe Parasceves die, passum esse Martyrem nostrum constat. At enimvero cum huic conjecturæ plurima obstant, & etiam Nicephorus (n) duobus diversis locis utramque Historiam, (detractionem nempe decretorum, & martyrium nostri) referat, assentire ipsi non possumus.

(k) T. II. Lect. Antiq. (l) p. 109. sqq. (m) lib. VIII. H. E. c. 5. (n) H. E. l. VII. c. 7. & 15.

XVI. Seldenus (o) autem ad istum locum provocat, ubi Eusebius (p) scribit: Deum ultione sua sensim ac moderate in fideles animadvertere cœpisse; ἐκ τῶν ἐν στρατείαις ἀδελφῶν καταρχομένῃ τῇ διογμῷ. *orta primum persecutione ab iis, qui erant in Militia.* Et hos inter in *Militia* martyres nostrum etiam comprehensum esse iudicat Seldenus, utpote qui primo Capitaneus, & deinceps tractus ad Tribuni dignitatem sit, putatque quod excessivus numerus magnorum martyrum designetur in Eusebii Historiis persecutionum, tectis eorum nominibus, utpote quæ ipsius Martyrologio, quod ex mandato Constantini M. fecit juxta Flavium Dextrum, (q) sine dubio inserta postmodum fuerint. Et in hoc Martyrologio, quod in Escuriali adhuc latere dicitur, inter plurimos alios qui omisi sunt in Historia, nominatum quoque Georgium fuisse, probabile ipsi videtur. Cumque Eusebius Martyrologii primus autor extiterit, uti Beda, Hilduinus & Notkerus testantur, ac prolixè id probare dicitur Molanus apud Bivarium in Notis ad Dextri Chronicon, (r) dubio procul subsequentes Martyrologiorum scriptores in plurimis Eusebium secuti sunt.

(o) fol. 662. sqq. (p) l. VIII. c. i. (q) ad ann. 308. (r) p. 359.

XVII. Quicquid vero hujus sit, probari tamen existentia Georgii nostri poterit ex Eutychio Alexandrino atque Nicephoro. Ille Sandio (s) quidem tantum de Ariano Georgio agere videtur, sed ex ejus inspectione aliud patet. Utriusque enim distinctam mentionem facit in Annalibus suis. De nostro verba in Pokokii versione ita fluunt. (t) *Idem, Diocletianus nempe & Maximianus, Sanctum Georgium variis suppliciorum generibus cruciatum in Palestina morte affecerunt: qui Sanctus a Cappadocia genus duxit.* De altero inferius (u) & suo loco hæc memorat: *Syrianus Athanasium in Tiberiadem relegavit, Patriarcha Alexandria constituto Georgio, qui Arianus fuit. Dein abiit Syrianus Præfectus Constantinopolin petiturus, quo Alexandria profecto urbis ejus incolæ Melchiani Georgium Patriarcham adorti, ipsum interfectum igne cremarunt, reversusque est in locum suum Athanasius.* Nicephorus (x) autem, martyrium Georgii itidem refert ad tempora Diocletiani, eundemque maximum inter Martyres horumque Coryphæum vocat, atque martyrii Historiam in compendio exhibet. Quia vero auctoritas horum scriptorum non apud omnes in æquo & æquali pretio est, fidem

iis

iis hac in parte tuto haberi posse, probabimus erectione tot templorum, aliorumque monumentorum ex antiquis scriptoribus haustorum.

(s) p. 221. (t) T. I. p. 403. (u) T. I. p. 480. (x) lib. H. E. VII. c. 15.

XVIII. Celeberrimum est atque antiquissimum S. Georgii templum, quo reliquias ejus translatas ferunt, quodque inter Ramulam & Lyddam situm, modo ab hac, modo ab illa nomen sortitum est, & adeo amplum erat, ut teste Johanne Cotovico (y) *runderum pridem labantium pars, hodie sufficiat Turcis ad Mesquitam, & Calogeris Christianis ad habitationem atque Ecclesiam.* Utroque illuc permeantes subsistere & preces in templo isto non sine insigni devotione hodiernum fundere ante abitum solere, testatur Dapperus in Descriptione Palæstinæ. (z) Pluribus de ista æde antiqua Glaber Rodolphus (a) atque Guilielmus Tyrius (a) agunt: qui postremus forte per errorem à Justiniano illam erectam esse in honorem Sancti scribit, tutius enim Constantino M. foundationem illius tribui posse Papebrochius affirmat, quod tum Græcorum Menæa id aperte testentur, & quotannis III. Nov. Encænia dedicationis celebrent; tum etiam Codinus referat, Constantinum S. Georgio ædem in Heræo antiquo Junonis templo dedicasse, cui insignia palatia Heræa dicta postmodum adjunxerit Justinianus. Idem Codinus (b) perhibet, Mauritium Imperatorem, oratorium Sancto Georgio ædificasse, ubi, quod sæpe alias fit, in Græco, loco Georgii est *εὐκτήριον Γρηγορίου*. Annis circiter CCXL post passionem Georgii, Justinianus referente Procopio *ιερόν Γεωργίου τῷ Μάρτυρι ἐν Βυζάνοις ἐδείμαλο*, *Georgio Martyri templum Bizanis condidit.* (c) Hanc vocem Byzanum male nonnullos cum Byzantio confundere notant Seldenus atque Papebrochius. Similiter circa medium seculi XI. Constantinus Monomachus, qui juxta Cangium (d) obiit anno MLIV., Constantinopoli splendidum in Manganis templum S. Georgii & amplum Monasterium excitavit, in quo condendo tot sumtus impendit, ut exhaustis publicis thesauris ad injustas exactiones confugere necesse habuerit. Et in hanc ædem venerandam annuatim Imperator *κατὰ τὴν μνήμην τῆς μεγάλης Γεωργίας* in memoriam magni Georgii è palatio procedere solitus est, apud Codinum. (e) Situm autem fuit Monasterium hoc atque templum ad angulum urbis Sandemetrianum ubi olim extitit Acropolis, forma triangularis erat, laterum autem inæqualium, cujus primum latus ab eo angulo, qui inter portum & Hellespontum continetur, ubi est Ecclesia S. Georgii, quæ dicitur Mangana. Ingressus hoc

hoc

hoc Monasterium post abdicationem fuit Johannes Cantacuzenus Imperator, uti hoc de seipso tradit in Historia. (f) Et ab hoc Monasterio Bosphori imminenti ostio nomen inditum *Brachii S. Georgii*: neque soli Helleponto, quinimo toti Propontidi nomen dedisse, è veterum monumentis probat Carolus du Fresne in Constantinopoli Christiana (g) ubi præter Ædem à Mauritio extructam, tria adhucdum templa memorat, quorum ultimum in Sycis etiamnum superesse è Crusii Turco Græcia (h) observat.

(y) in Itin. ap. Papebr. (z) p. 134. (a) cit. Papebr. p. 108. (b) fol. 42. de Orig. CPL. (c) l. III. de Ædif. Just. (d) p. 145. (e) de Offic. c. 15. p. 113. (f) l. IV. c. 42. p. 878. (g) l. IV. p. 124. sq. (h) p. 209.

XIX. Præter ædes sacras Georgio dedicatas alios quoque honores ipsi tributos legimus. Adulto seculo X. Johannes Tzimisce Imperator post victoriam illustrem reportatam die S. Georgii, memoriam publicam atque consecrationem fecit Martyri huic. (f) Festo Nativitatis Christi post cantatam Liturgiam, inter Flammeola quæ in Liturgiæ celebratione Cæsari præferri suevere, erat etiam *Φλάμμελον ἔχων τὸν ἅγιον Γεώργιον ἑφιπῶπον*, flammeolum representans S. Georgium Equitem. (g) Equo enim insidentem depingere solebant Græci, quod eo habitu non semel adstitisse ipsis in præliis, ac pro iis dimicasse conspectus sit: uti è Scriptoribus Græcis observant Cangius (h) atque Goarins. (i) Hinc eundem nomine ipsi fere soli proprio vocabant *Γεωπασοφόρον* & Christianorum exercituum ductorem; qua de re Cangius in Glossario (k) & Papebrochius (l) in Actis S. S. pluribus agunt. Imago etiam Equitis hujus tanto in pretio apud Græcos fuit, ut non solum illam fidei testandæ atque faciendæ gratia traderent, prout ab Hierace traditam sibi Cantacuzenus ipse memorat; (m) sed nummis quoque Cæsareis impressa, ast non ut alias equestris, cernitur.

(f) Cedr. Comp. Hist. p. 556. conf. Cod. in Orig. (g) Cod. de Off. c. VI. p. 79. (h) Diss. de Num. Ant. Glossario annexa. n. 32. (i) Not. ad Cod. p. 86. (k) Med. Græc. T. I. p. 1617. (l) p. 152. sqq. (m) Hist. l. III. c. 91.

XX. Exhibet istiusmodi nummos tres, eosque æreos ac tertix magnitudinis du Fresne in Familiis Augustis Byzantinorum. Primum cudi fecit Constantinus Ducas, qui Isaacio Comneno Imperatori adherens in eam dignitatem postea XXV. Nov. Anni M. LIX. successit. (n) Prima facie conspicitur Imperator loratus, qui dextra longiori narrheci inni-



innixus, læva tenet Acaciam cum his literis Ω ΔΕΣΠΙ Ο ΔΕΚΑΣ i. e. Κων-  
 σταντίνου Δεσπότης ὁ Δέκας, in nummo crasa litera Κ. Altera exhibe-  
 tur *περτομὴ* seu imago umbilicotenus deducta Georgii, nudatum en-  
 sem vel spiculum dextra, sinistra clypeum gerentis. Caput ipsius Mar-  
 garitarum linea, seu unionibus distincto diademate, instar Imperatoris,  
 cingitur: adscribuntur vero hi characteres, Ο quo Α minutulum includi-  
 tur, (sic enim *ἀγι* vulgo contrahunt,) & ΓΕΟΡΓΙΟΣ. Eodem plane  
 modo cernitur facies Georgii in secundo nummo Manuelis, (ο) retentis  
 iisdem characteribus. Ab altera vero parte comparet imago pectoralis  
 Imperatoris, quæ dextra Narthecem, sinistra globum crucigerum gestat;  
 cum hac Epigraphe ΜΑΝΗΛΑ ΔΕΣΠΟΤ. Fuit autem Manuel Comnenus  
 Johannis Imperatoris filiorum ultimus, qui fratri Isaacio, licet natu minor  
 in Imperii successione a patre prælatus fuit circa A. MCXLII. (p) quo fra-  
 ter Andronicus è vivis excessit, Patre A. MCXLIII. mortuo. (q) Tertium si-  
 gnavit Alexius Angelus, cognomento Andronicus, exprimit hic adversa  
 parte Imperatorem paludatum, dextra Nartheci innixum, læva globum  
 crucigerum habentem, adscriptis his vocibus: ΑΛΕΞΙΟΣ ΔΕΣΠΟΤΗΣ;  
 ab altera S. Georgii *περτομὴν* dextra spiculum prehendentis, cum hac in-  
 scriptione: Ω ΓΕΟΡΓΙΟΣ, i. e. Ἀγι Γεώργι. Vixit autem Alexius  
 hic seculo XI. labente, ac fratre Isaacio Augusto in carcerem coniecto &  
 excoecato Imperatorem se appellavit VIII. Aprilis die Anno MCXCV.  
 Postea Angeli cognomine, ut vili & minus illustri, seu ut alii volunt, ex  
 concepto in fratrem odio, dimisso, Comneni nomen assumpsit. (r) Nec  
 multum dispar esse dicitur Cangio (s) S. Georgii figura, quam habet Con-  
 stantini cujusdam *περναθήμενος* sigillum apud Octavium Stradam, in  
 quo stans habitu militari describitur dextra spiculum tenens, sinistra cly-  
 peo cruce insignito, ac humi defixo innixus, cum hisce characteribus,  
 Ο ΑΓΙΟΣ ΓΕ.

(n) Fam. Byzant. p. 159. 161. (ο) p. 168. (p) p. 186. (q) p. 179. (r) p. 201.  
 205. (s) Diff. cit. n. 32.

XX. Antequam Græcos linquamus, attingenda prius erunt, quibus  
 multum tribuit Raynaudus, (t) testimonia Basilii atque Chrysostomi: in  
 quorum Liturgiis mentio fit inter Sanctos alios nostri Georgii. In illa  
 per Victorium Sialach ex Arabico in Latinam linguam translata, nomina-  
 tur *stella honoris*, sive *stella præfulgida*. In hac post Protomartyrem  
 Stephanum (u) inter Sanctos, qui invocantur, primus est Γεώργι. At e-  
 nim

C

nim

nim vero dudum observarunt eruditi, Liturgias tum Basilii, tum etiam Chrysofomi variis seculis pro cuiusque genio varie fuisse interpolatas; ut adeo firmum exinde argumentum pro Antiquitate cultus Georgiani desumi non queat; præsertim cum in Euchologia, quæ Chrysofomi operibus inserta est, & in alio exemplari vetusto, apud Goarum (x) in Euchologio Græcorum, memoria S. Georgii non reperiatur.

(t) de Georg. §. V. p. 340. (u) Euchol. Græc. Goari p. 61. (x) Euchol. p. 100. 104. conf. Cave in Hist. Litt. p. 194. & 258.

XXII. Pariter quoque libri Liturgici Latinorum merita S. Georgii cum præconio memorant: uti videre est in Gregorii Sacramentario & Antiphonario apud Pamelium, (y) contra quem auctoritatem Sacramentarii Gregoriani vindicat Raynaudus; (z) quorum controversiam tamen nostram non facimus; sed ad alium locum Gregorii progredimur, in quo Gregorius Papa Marianum Abbatem (a) jubet restaurare vetustate collabentem Ædem S. Georgii. Num Romæ illa fuerit, quæ primum Septimio Severo & Aureliano Imperatoribus dicata, postmodum vero ritu Christiano purgata, Georgio sacra facta est, quod Raynaudo (b) placet; an alio extra urbem Romam loco steterit? quod contendit Papebrochius, (c) non definimus. Ubicunque enim sita sit, perquam antiquam eandem fuisse oportet, cum istius reparatio initio seculi VII. Pontifici Romano curæ fuerit. Ulterius antiquitas Georgii nostri probari potest decreto Gelasii, (d) qui, quamvis Acta de ipso scripta rejecerit in Synodo Romana anno 494. habita, ipsum nihilominus in numerum Martyrum recepit, dum subdit: *Nos tamen cum Ecclesia omnes Martyres, & eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus sunt noti, omni devotione veneramur.* Quæ de Georgii meritis ac reliquiis in suis de Gloria Martyrum libris scripsit Gregorius Turonensis, (e) nota satis sunt. Addimus unicum adhuc Venantium Fortunatum itidem seculi VI. scriptorem, qui ædem egregiam in honorem S. Georgii à Moguntinorum Episcopo Sidonio extructam, ita versibus suis depingit: (f)

*Martyris egregii pollens micat aula Georgi,  
Cujus in hunc mundum spargitur altus honor.  
Carcere, cade, fame, vinculis, site, frigore, flammis,  
Confessus Christum, duxit ad astra caput.  
Qui virtute potens Orientis in arce sepultus,  
Ecce sub occiduo cardine prebet opem.*

Ergo

*Ergo memento preces, & reddere dona viator,  
Obtinet hic meritis quod petit alma fides.*

*Condidit antistes Sidonius ista decenter,  
Proficiant anime, quæ nova templa suæ.*

(y) T. II. Liturg. Lat. p. 117. (z) §. VII. (a) l. IX. Epist. 68. (b) p. 347. (c) p. 110. n. 37. (d) ap. Grat. in T. II. Concil. P. I. p. 501. edit. 1618. (e) l. i. c. 101. (f) l. i. Epigr. 13.

XXIII. Francos veteres cultum Georgii, tanquam inter Martyres celeberrimi, jam seculo VI. ineunte, adeoque una cum Christianæ fidei rudimentis accepisse; ex vitis Bathildis & Droctovei, ab autoribus Aimonio antiquioribus, scriptis, probatum dare nititur Papebrochius, qui alia quoque templa, oratoria & Monasteria Georgio in Gallia sequentibus seculis VII. & VIII. consecrata commemorat. (g) Quæ vero ex Aimonio citari solent verba de reliquiis, corona scilicet Christi spinea, & brachio S. Georgii, quas secum Parisios Urbis Præsul Germanus Hierosolymis attulerit, interpolatoris ignoti commentum esse idem statuit cum Francisco du Chesne atque Carolo le Cointe, quorum hic (h) addit, *in antiquis monumentis nullum esse vestigium peregrinationis in Orientem a Germano susceptæ.* Francis plures adhuc addere possemus gentes atque populos, a quibus summa veneratione Martyr noster honoratus fuit. At enim vero Dissertationis Academicæ limites obicem ponunt. Pluribus templa atque oraria passim per totum orbem nostro dedicata recensent Baronius, (i) Kellerus, (k) Serarius, (k) Raynaudus (l) vero prolixissime Papebrochius. (m)

(g) p. III. sqq. (h) in Annal. ad A. C. 566. (i) in Annal. passim. (k) II. citt. (l) p. 346. sqq. (m) p. 114-117. & 132.-154.

XXIV. Non tantum autem templa & oppida in variis terræ partibus quamplurima in S. Georgii nomen & patrocinium concessere, sed etiam provinciæ & regna integra ipsum tanquam Patronum speciali modo colunt & honorant: scil. Melitensis Insula, Genuensis Respublica, Barcinonensis Comitatus, Regna Valentia, Arragonia, Angliæ. De omnibus hic loci differere documenta nos deficiunt. De Anglia solum ductu Seldeni (n) ex libro de Titulis Honorum aliqua profereamus. Et nisi fallimur, ex hoc Tractatu desumpta est Dissertatio illa, quam in linguam Latinam translata, sibi que ex Anglia a D. Prichart transmissam, maximam partem Actis S. Georgii subjunxit Papebrochius, suis etiam ad illum observationibus additis. (o) Rationem, cur

Georgium Angli elegerint Patronum? facilius se dicere posse Seldenus ait, quam tempus notare, quo id factum sit. Ea vero est; quod Anglorum natio semper militaris fuerit, adeoque militem Patronum habere voluerit. Originem autem primam hujusce cultus, cum idoneis probare testibus nequeat, conjecturis suis indulgens, eam tribus thesibus proponit. Prima est: ante Angliam per Normannos triumphatam, hoc est sub Anglo-Saxonibus, S. Georgium in magna veneratione apud gentem hanc fuisse. In secunda firmiter suspicatur, eundem inter Imperii Normannici principia, (quæ eadem sunt cum belli sacri temporibus,) ascitum solemniter in Tutelarem Patriæ Divum, Tertia statuit sub Eduardo III. vulgatissime eum pro Patriæ Patrono agnitum fuisse. Primam præsumptionem probat inter alia ex vetustissimo Martyrologio Anglicæ nationi proprio; quod MS. & lingua veteri Anglica seu Saxonica conceptum, Cantabrigiæ servatur in Collegio S. Benedicti. Characteres quibus exaratum est atque Idioma Linguae docuere ipsum, ante sexcentos annos scriptum esse. Id vero peculiare est Martyrologio huic, quod totum diem XXIII. Aprilis S. Georgio donet, omissis omnibus, qui in hunc diem incidunt, & tam prolixè in laudes ejus excurrit, ut justæ fere vitæ autor videatur. Dein ostendit, qua ratione postmodum crescente cultu in Sanctum, creverint etiam honores festi hujus sacri, & quomodo instante ac promovente Henrico V. tandem in convocatione Provincialis Cleri Cantuariensis decretum sit, *ut Georgii dies sit festum duplex, ad modum Festi duplicis majoris: h. e. ut abstineant incole singuli ab omni servili opere, prout in Festo Nativitatis Domini.* Et hæc festi celebratio duravit usque ad tempora Eduardi VI. Hunc enim adhuc puerulum, vel potius sub illo, Parlamentum ferias anniversariales S. Georgii sustulisse, non sine indignatione queritur Papebrochius, \*

(n) l. II. c. V. §. XLIII, fol. 672. sqq. (o) p. 160. sqq. (\*) p. 163. n. 135.

XXV. Ex his autem, quæ hætenus de memoria & cultu Martyris nostri ex antiquis scriptoribus adduximus, constare arbitramur: vere olim Georgium Martyrem vixisse, diversum ab Ariano Georgio, Martyriumque sub Diocletiano subiisse. Sane tot templa consecrata, tot festa celebrata, & tot honores Georgio a toto ferme Christiano orbe tributi plus inferunt, quam vel plane nullum, vel Arianum Georgium. Neque veteres Christianos hanc fraudem ignoraturos fuisse judicamus, utpote qui istiusmodi temporibus vixere, quibus facile talis  
fraus

fraus deprehendi potuit, cum partim ex traditione Parentum intrusio Georgii Ariani in Ecclesiam tum illis innotuerit, partim etiam scripta Patrum extiterint, ex quibus de Ariani Georgii rebus pessime gestis, atque ignominiosa morte, abunde ipsis constaret. Neque moramur superstitiones Muhammedanorum, de quorum cultu erga Georgium pluribus agunt Hottingerus (p) & Busbequius. (q) Nec inquirere animus est, unde sua de Georgio documenta acceperint. Nihil enim istorum superstitio veri Georgii martyrio præjudicare potest. Id saltem notamus ex Seldeno, (r) Turcas, quando imagines in templis Christianorum destruunt, ex veneratione quadam Georgii non violare. Haussisse vero plurima, quæ ipsi suo Gerges applicant, ex Christianorum scriptis, & forte ex Actis quoque de Martyrio Georgiano ab ipsis lectis, probabile videtur. Ipsa enim Acta omnibus fere linguis in plebejorum manibus olim quin fuerint, non dubitat Hottingerus, qui vernacula Helvetiorum lingua scriptum exemplar in Bibliotheca Tigurina asservari ait.

(p) Hist. Or. l. i. c. 3. p. 99. sqq. (q) Epist. I. p. 102. sq. & Ep. III. (r) l. c. fol. 668.

XXVI. Restat ut nunc quoque agamus de Ordinibus in honorem S. Georgii erectis, ipsiusque nomine insignibus. Antiquissimum inter istos multi faciunt, qui à Constantino M. institutus fertur, cujus tessera fuit Torques aureus, à quo S. Georgii equestris solida effigies pendeat. At enim vero fabulam esse illam relationem, & inscriptionem, quæ probationis loco affertur, antiquitatem mentiri, ostendit Papebrochius. (s) Transisse illum in Ordinem S. Basilii ex Tamburino aliisque refert Raynaudus (t) Fortassis ille ipse est Equitum Ordo, quem ultimis Imperii Constantinopolitani temporibus in Oriente fuisse Seldenus (u) asserit, à S. Basilio regulam & institutum, à S. Georgio tutelam & patrocinium habentem. Insigne ipsi tribuit crucem rubram, in qua aureis litteris hæc verba Græce aut latine ducuntur: EN TOTTO NIKA: additque quod familia Imperatoria Commenorum supremam hujus Ordinis Præfecturam sibi vendicet, ita ut ipsa sola Cavalieros eligere, ac electos regere possit. *Id autem facere se ait ex privilegio signato per Michaelem Paleologum, Græcorum post amissam Constantinopolim Imperatorem ab anno MCC LX. ad MCCLXXXIII., & facto in favorem Michaelis Angelæ & Andree fratrum Commenorum ac liberorum ab ipsis procreandorum.*

Hoc suum istud privilegium per manum & signaturam Notarii Apostolici recapitulari & in Acta referri petiit Romæ anno MDCX. Don Johannes Andreas Angelus Flavius, Venetiis vivens, qui, cum genus suum ducat à Michaelangelo, Isaaci Angeli sub annum MCLXXXV. Constantinopolitani Imperatoris hærede, coronam imperii CPL tani, velut natalium jure sibi debitam, usurpat. (x)

(s) p. 155. (t) p. 356. (u) fol. 667. & ap. Papebr. p. 160. n. 122. (x) Seld. l. c. XXVII. Illustrior longe, quin longe Illustrissimus, totoque orbe celebratissimus est Ordo Garterianus sive Periscelidis, qui sub auspiciis Magni Martyris Georgii in Anglia militans, ita notus est omnibus, ut non magis cognoscatur nomine Garterii, quam istius Sancti titulo. Ceremonias, vestitum, & officia, ad quæ ex Ordinis legibus tenentur, ex Camdeno (y) Polydoro, (z) Favino, (a) & novissime (b) Thülemario, plurimisque aliis peti possunt. Quæ autem allegorica sit omnium istorum expositio, describit Mendocius Belvaletus in libro *La Gartiere* seu *Speculum Anglorum*, qui postmodum sub titulo *Catechismi Ordinis Equitum Periscelidis Anglicanae*, à Philippo Bosquero editus est. (c) Nos paucis tantum summa rerum capita considerabimus. De prima Origine hujus societatis multum disquiritur: cumque in eo concordēs sint tantum non omnes, ab Eduardo III. medio seculo XIV. institutam esse; discrepant tamen quam maxime in occasione sanctionis hujus exponenda. Multi Polydoro Virgilio fidem habentes, primam Ordinis originem deducunt à Periscelide cærulæa Johanna Comitissæ Sarisburiensis, quam inter Choreas decidentem Rex sustulerit, ridentique Aulicorum coronæ cum animi quadam commotione dixerit, *Hony soit, qui mal y pense. Opprobrium ei, qui suspicatur male.* Huicq; sententiæ addicti sunt quamplures viri docti Thülemario citati. (d) Eandem alii Historiam narrant sine variatione, nisi quod Regina, non Comitissæ Periscelidem fuisse dicant. Camdenus etiam, cum breviter varias institutionis causas recensuisset, ad amores potius Regios, quam ad aliud quidpiam factum referre voluit; uti de ipso refert Seldenus, qui nec ipse prorsus alienus est ab hac sententia. Cum enim Garteriani Ordinis natales veros prius dedisset; non penitus rejicienda putat, quæ alii de Periscelide Comitissæ, vel juxta nonnullos, Regina tradiderint. Nihil enim obstare putat, quod Garterium occasione, quam isti produnt, in denominationem & tesseram Ordinis transferit, cujus tamen origo prima derivanda sit ex Arthuri Regis mensa rotunda. (e) E contra Thülemarius cum

eum multis Anglis totam relationem istam putidum Polydori Virgilii commentum vocat, quod ipse Italus, Anglisque infensus, aut vulgi fama solum innixus scripserit, aut ipsemet excogitarit. Cumque sæpius fidem ejus in aliis rebus indubium vocent viri docti, multaque in ejus Historia notent, quæ vel falsa vel mendosa sint; hac quoque in re fidem illi haberi non posse, dignioremque creditu sententiam Anglorum esse, cum Becmanno (f) judicat, quæ post prælium in Gallia feliciter commissum, cui Periscelidem sinistro pedi alligandam tessera loco Rex dederit, ordinem institutum statuit; quo tempore Rex Eduardus III. ut militibus suis quoddam victoriæ præmium daret, anno circiter 1350. magnis solemnitatibus in arce Windesoriensi nobilissimam Equitum societatem conscripserit, ubi ob Periscelidem in laudato prælio pro tessera datam, eosdem Equites Garterii seu Periscelidis denominaverit. (g) Insigne Ordinis est Periscelis cærulea, qua sinistram tibiam paulo infra genu substringunt, & aurea fibula in concordia symbolū connectunt. Huicque subligari cærulco inscriptum est aureis litteris hoc symbolum. *Hony soit, qui mal y pense. Male vertat ei, qui male cogitat*: cui parallela esse notat Becmannus, (h) quæ apud Plutarchum in Pelopide Philippus Macedo de cohorte amanitium protulit. Ἀπόλοιτο κακῶς, οἱ τῆς τι ποιῆν ἢ πάχεν ἀίχρην ὑπονοῶντες. *Male pereant, qui hos facere quicquam aut pati, quod turpe est, suspicantur.* Eadem fascia sæpius iterata alternatim rosis albis atque rubris, ceu præscis Lancastriæ atque Eboracensis Familiarum symbolis distinguitur, appensa Divi Georgii Patroni Ordinis effigie. (i) Cæterum Garteriani collegii solemnia quotannis Windesoriæ in Æde D. Georgii die in Fastis ipsi særo celebrantur, præsidente Rege, qui Ordinis Præses est, & *Supremus* vocatur. Mosque est, ut commilitones galeam & scutum cum gentilitiis insignibus, Ordinū reliquorum imitatione, loco templi conspicuo suspendant. (k) Seriem Equitum à prima institutione usque ad A. MDCVIII. contexuit Thomas Milles, (l) e quo & aliis scriptoribus annotat Thülemarius, (m) à prima Ordinis origine ad nostra usque tempora XXVI. Imperatores atque Règes, exceptis Angliæ Regibus, Collegio huic adscriptos fuisse.

(y) in Descr. Brit. p. 212. 213. (z) Hist. Angl. l. XIX. (a) Theatr. Ord. Eq. (b) Dissert. pecul. de Ord. Eq. S. Georg. (c) ap. Seld. fol. 657. (d) l. c. §. 17. (e) conf. Papebr. p. 159. (f) de Not. Dign. Ill. Diff. XVI. c. 4. (g) Thulem. §. 19. sq. (h) l. c. (i) conf. Spen. Op. Herald. Part. gen. p. 337. (k) vid. Menenius in Symb. Ordd. Equest. p. 128. & Miræus in Orig. Equest. l. II. c. 3. (l) ap. Gualt. in Chron. Chronic. T. II. p. 223. (m) §. 29. XXVIII.


OX II. 1949

XXVIII. Non minus celebris est Ordo S. Georgii in Austria, quem Fridericus III. Imperator labente seculo XV. instituit, ordinisque membra in Carinthia & vicinis provinciis Turcarum incursiones reprimere iussit. Collapsam ordinem postea Maximilianus restituit & ampliavit, addita confraternitate S. Georgii, quam Johannes Siebenhirter, Ordinis S. Georgii Magister Generalis, approbante Imperatore primus restituit circa annum MDIII. Insigne Equitum erat crux rubea, Confraternitatis verò crux aurea cum corona in circulo etiam aureo, quam solemniter dextero novi militis brachio circumligabat Episcopus. Huic confraternitati Pontifex ipse Alexander VI. inscribi voluit, eamque aliquot Cardinales assumsere: prout prolixè omnia ex Bollandi de hoc Ordine Commentario pertractat Papebrochius; (n) conferatur etiam Menenius (o) & ex Favino Raynaudus. (p) Alios Ordines S. Georgii nomine insignitos recenset Ascanius Tamburinus: (q) nempe Ordinem Equitum S. Georgii de Alsama anno Domini MCCI. à Petro II. Arragoniæ Rege institutum; qui postmodum cum Equitibus Montesiæ conjunctus, & uterque pro uno habitus fuit. Similiter apud Genuenses Equitum S. Georgii titulo insigniuntur honorarii illius Reipublicæ cives bene meriti; Ordoq; tesserâ, quæ est crux plana rubei coloris, condecoratur. Idem Tamburinus annotat Paulum III. alium ordinem S. Georgii erexisse, cujus Equites Cruce aurea & corona in circulo aureo insignitos, ad littora Adriatici sinus custodienda destinavit. Hisce in gratiam eorum qui notitia rerum equestrium plurimum delectantur, addimus, quod Papebrochius (q) apud laudatum Tamburinum invenerit prælo paratum insigne duorum grandium voluminum opus, in quo coloribus expressi cernebantur singulorum ordinum Equites in suo habitu; documentis & imaginibus undique conquisitis. Ubi simul optat reperiri quemquam, qui necessarios tot laminis sculpendis sumptus in se susciperet.

(n) p. 155. sqq. (o) p. 157. (p) p. 356. (q) p. 159. n. 122.

ADDITAMENTA VARIA.

- I. Muhammedani colunt omnino Georgium sub nomine Cheder Eliaz.
- II. Animam esse immortalem, ex Lumine naturæ noverunt Gentilium prudentiores.
- III. Controversia de spatiis imaginariis, imaginaria & ipsa est.
- IV. Ecclesia non est status à Politico diversus & peculiaris
- V. Respublicæ non institutæ sunt religionis causa.
- VI. Terra non est dissoluta tempore diluvii, neque forma ipsius deperdita.
- VII. Vox Διαθήκη denotat in Novi Fœderis libris Testamentum. Contra Toverfonum.
- VIII. Sententiâ quæ statuit Xerxem esse Nebucadnezarem, Chronologiæ LXX. Hebdomadum multum lucis afferre videtur.



107



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Faint, illegible text or markings on the aged paper background.

